LIBER PRECUM

Anfang 14. Jh.

Seite 128v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26594
Copyright: Admont, Benediktinerstift

da capiti meo aquam immissam et oculis meis fon-
tem lacrimarum emanantem iugiter ex nimio af-
fectu et desiderio visionis pulchritudinis tue
ut lugeam nocte ac die. nullam in presenti
uita recipiens consolationem donec in celesti tha-
lamo te merear uidere dilectum et pulcher-
rimum sponsum meum dominum deum meum. ut ibi ui-
dens gloriosam et ammirabilem faciem tuam
omni dulcedine plenam cum hiis quos elegis-
ti maiestatem tuam suppliciter adorem et tan-
dem celesti ineffabili repletus iubilo eterne
exultationis exclamem cum diligentibus
te dicens. ecce quod concupiui iam uideo quod
speraui iam teneo quod desideraui iam habeo. il-
li iam in celis iunctus sum quem in terra positus
tota dilectione dilexi. tota caritate ample-
xatus sum. cui toto amore inhesi. ipsum lau-
dem et benedicam et adorem. Qui uiuit.

Agne dei patris omnipotentis qui uenisti
tollere peccata tolle iniquitatem meam ut me-
ar inter seruos tuos dinumerari et ut sen-
tiat corpus anime mee non ad iudicium sed per inter-
uenta sancte marie et omnium sanctorum tuorum ad indul-